

FRATER ARCHANGELUS SCOTVS FRATRVM CAPUCINORVM  
DIFFINITOR PROVINCIALIS.

P. F. ARCHANGELUS SCOTUS, Concionator, materno ex genere Regia stirpe oriundus, utpote Margarita Gordonia progenitus, filia Marchionis de Huncle, cuius antecessor Regis Scotiae filiam de sanguine Stuartorum in uxorem duxerat, paterno quoque nobilissimus exitit. Patre namque Comite de Forbes, ditione, & opibus potente ortus, praeclarum ex utroque Parente generis nobilitatem tulit, quam praeclarioribus virtutibus maxime exornavit. Dispar erat parentum cultus, ac religio; Margarita mater fidem Catholicam omni studio colebat; Forbesus Pater Calvinianæ Sectæ pertinaciter adhærebat. Hinc Margarita, accepto repudiis libello, pro fide profuga, Archangelus noster, neicum natus, (utpote materno clausus in utero) pro fide fugas, exilia, persecutions perpeti, ac pro iustitia agonizare coepit. Ablaftatus puer a matre abstrahitur, quem illa, ubi rationis, & judicii compos esse potuit, clam per interuntios ad Catholicam Fidem sedulo cohortabatur. Adolescentis factus, a Jacobo Gordonio Societatis IESU Presbytero, ejusque Patruo in fide instruitur, robatur, & confirmatur, atque a petitifera hæreses labe, quam ex consuetudine Patris, ac fororum contraxerat, abolutionis Sacramento expurgatur. Pater filium a priori statu immutatum cernens, & Catholicum suspicatus, protinus ei Nobilissimam pueram hæresi imbutam matrimonio copulandam decernit, que illum a Catholicæ Religione averteret. Dissimulat providus adolescentis, choreis vacat, simulat procum, nuptias urget, ut omnem sui propositi suspicionem Patri adimit. Interea de futura sponsa opportune deserenda secum cogitat; cum quodam die a venatione defatigatus federet, in visu pauperum quorundam Religiosorum, quorum se nunquam, aut habitum, aut formam vidisse meminerat, in supplicationis modum ordinate incenditum agmen consipicit, quo

( 206 )  
ille adspexit attonitus, paulatim se erga illos affici, & ad eorum imitationem divino quadam impulsu pertrahi animadvertisit. Hinc igitur magis animo ad fugam accentus, ludo postridie simulato, longius a Castro procedit; cumque in Adolescentem ovium Pastorem incidisset, veites suas cum illo commutatus, paulatim se ex illius oculis abripit, donec, navigio concesso, Antwerpam adnavigat, hoc modo, alterius Alexii infar, paterna domo, parentibus, sororibus, amplissima hæreditate, primogenitura, cum his pariter & sponsa summa animi constantia relictis, ad ignotas sibi terras perrexit. In his Genus suum reticens, plurima sustinet incommoda, carceres, inedias, emendicataque stipe quotidie viabitans, tenui cibo delicatum sustentabat corporculum: donec ope Domini Ludovici Claris, inter urbis pauperes connumeratus, annuis insuper eius impensis in lingua Belgica, & Latina instructus, Anno ætatis suæ 23, inter Capuccinos cooptatus, Religiosum mira animi voluptate in omni virtute auspicebat tyrocinium. Post solemnia vota inter humiles humillimus, inter pauperes pauperissimus, inter honestos honestissimus apparuit. Viliora quaque domus ministeria sedulo amplectebatur; frequens, & singularis abstinentia, vitaque austeritas ita exesum, atque exsuccum praetiterant, ut caro præmortua vivente spiritum testaretur. Ad prædicationis munus assumptus, miro æstuans Catholicæ Religionis zelo, trecentos, & amplius Dimidias praefidarios milites Scotos ad fidem perduxit: Menensis quoque plurimos hæreticos IESU Christo peperit. Post hæc Archangelus Teneramundam cum Guardiani potestate projectus, Vestmonasterii pestilentis morbo corripitur, quo tandem confunditus, inter Fratrum manus expiravit, pereniter in patria coronandus, qui voluntarium pro fide hic sustinerat exilium. Obiit anno ætatis suæ 36. a Christi Nativitate 1606.